



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quid Christus Petro imperat, cum dicit: sequere me?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Non amplius malignis oculis sacra nostra aspicient, Non vltra contaminabunt impuro sanguine, altaria nominata à purissima, & incruenta victimâ. neque impiis artibus inaccessa adita polluent, &c. Neque vltra visceribus sanctorum indiuisis porcorum immunditiam inducent, vt pariter pastu, visceribusque impleantur, non amplius admoueant ignem martyrum monumentis. Hæc sunt quæ Iuliano duce gentiles faciebant, hæc imitantur Galitiani.

VERSUS 20.

Conuersus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est qui tradet te?

QVÆSTIO I.

Quid Christus Petro imperat, cum dicit: sequere me?

Petrus gressu Christum secutus.

§. 1. **T**Riplici modo Dominum sequi potuit Petrus; gressu, moribus, morte. Hinc tres oræ sententiæ interpretum. Quas omnes complexus est verbo Christus. Nam primo constat Christum cum dixit: *sequere me*, abiisse, & Petrum secutum fuisse. Nam Petrus secutus dominum, conuersus, *Inspice* vidit Ioannem sequentem, cui Christus non dixerat, *sequere me*. Præbat igitur Dominus, iussus Petrus, iniussus Ioannes sequebatur. Deinde etiam certum est, Christum de morte locutum esse, Vt Augustinus, Beda, Rupertus, Maldonatus, alii docent. Nam cum martyrium prædixisset, ad tolerantiam illum suo exemplo hortatur. Non grauem videri oportere seruo crucem, quam Dominus sustulit. Petrus enim, & Ioannes, atque alii ænigma hoc intellexerunt. Nam sequi interpretati sunt mori eo modo quo Christus mortuus est, scilicet morte violenta, si non de morte crucis omnes acceperunt, quam tamen Christus, dum manuum extensionem nominat satis insinuauit. Ioannem manere interpretati sunt, non mori. Nec dubium est, quin Petrus de illo quaesierit, quomodo moriturus esset? Quod autem pedibus sequitur signum erat spiritualis in morte obeunda imitationis. Hæc porro etiam morum similitudinem continet; nemo enim magis Christum imitatur, quam is qui animam suam pro Christi gloria ponit.

Et morte.

§. 2. In Petro sollicitudo superuacua notatur, quo circa eum Christus reprehendit: nec ad interrogata respondet. Nimirum autem exaggerant Petri delictum, qui noxiam curiositatem interpretantur, vt Calvinus. Audierat Ioannes Petrum martyrio coronandum, sibi de eo nihil dici, cum tamen ille professus esset, calicem se bibere posse. Petrus cum sciret eam Domino discipulum, non tam sua, quam illius causa interrogat.

§. 3. Respondet Christus: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te, tu me sequere*. Latina lectio variat. Alii legunt. *Sic eum volo manere*. Augustinus & Ambrosius. Alii sic: Hieronymus aduersus Iouinianum. Retinenda est illa lectio, quæ solam conditionalem particulam habet. *Si eum volo manere*. Ita in Græco est, *εάν, ή, & in Syro pariter*. Nullo modo retinendum aduerbium similitudinis. De morte Ioannis alio lo-

co dixi. Christus de suo ad iudicium aduentu loquitur.

Discipulos illos pro auctoritate Rudolphus grauius reprehendit, quod verba Christi aliorum sint interpretati, animos à terrenis non auocauerint, illis similes ait, qui de cœna, imaginibus aliter, quam ipsis placet, credunt. Quod ad discipulos attinet, non intellexerunt, verborum Christi, sensum, aut potius consequentiam inde deduxerunt, quæ inanis fuit. *Marta sergno nobis documento illud est, parum prodesse verbum seu scriptum, seu prædicatum, nisi legitima illius sententia teneatur. Et illi quidem de morte Ioannis dababant; at nostri Sectarii, quod illis visum est de Scriptura comminisci, tanquam Euangelium credi à cæteris æquum putant: Impios enim errores scripturis imputare non verentur.*

Intelligere non potest.

VERSUS 24.

Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius.

QVÆSTIO I.

Quid illa protestatio, Hic est discipulus, &c.

§. 1. **Q**uidam cum Theodoro Mopsuesteno verbum illum, auferunt: nullo argumento, & contra Concilii Tridentini decretum. Puerile est, quod monet hic Rudolphus Gualterus. [Ioannes se vocat discipulum. Nemini ergo Christiano licitum est, titulum magistri aut doctoris admittere, vel tribuere alteri. Confer cum ista Apostolorum modestia, eorum insolentiam, atque fastum, qui titulos magnificos prece, & precio redimunt. Imo ex philosophorum scholis eos petunt, vt apud rude vulgus sese venditent: & facile videbis quo spiritu isti agantur. Sunt hi Iudæorum similes, quos grauius accusat Christus, quod magister & doctores dici vellent. Excusant quidem sese publica, & à multis seculis recepta consuetudine. & ipsi ministerio, inde aliquam dignitatem accedere aiunt. Atqui nulla consuetudo Christi præcepto prædicare debet: qui ne quid huius fiat, grauius monuit, vt alibi demonstrauimus.]

Gradus Academiæ mui dantur ab hereticis.

Deinde seiplos isti accusant, quod nimis ignaui sint in suo officio, quando pro pastoribus legitimis non agnoscuntur, nisi inanium titularum splendor auctoritatem illis conciliet. Atqui ex Christi voce & imitatione, Pastor agnosci debet, non ex titulo: qui a nimum ambitioni potius deditum, quàm Christi spiritu illuminatum arguit. Quid autem de illis dicemus, qui vbi Ecclesiæ iam multis annis seruierunt, sub extremam senectam ad scholas redeunt, vt ibi doctores creentur, & deinde maiore cum fastu, ad Ecclesiam reuertantur, cum humilitatis & modestiæ exemplum præbere debebant? Sunt hæc indigna Christi ministris, quibus legitima vocatio, & publicum Ecclesiæ testimonium sufficere debet, cum his Apostoli olim contenti fuerint.]

Respondeo. Non esse vlli dubium magnam esse in illis honoribus petendis Predicantium ambitionem, & vanitatem: fere enim fit, vt qui propudiosas aliquas, & calumniosas theses protrudere ausi fuerint, Academicis titulis insignes, & famosi reddantur. Interim qua ratione magistri & doctores vocari prohibeantur, vel permittantur in Matthæo docui. Nec nomen Christus, sed factum culpat. Quod nõ modo

Academici gradus libentur.

Catho-